Quę fiunt in brachijs, incisa arteria post malè institutam præcipuè venę sectionem aneurismata, hodiernis facilè temporibus sanantur per compressionem, si tempestivè satis adhibeatur, vel per vincturam arterię, vel per adjectum denique stipticum eiusdem orificijs, nempè agaricum. Huiusmodi exemplis pleni sunt omnes libri, plena omnis est Chirurgorum historia. Rem hanc postremò fusè elegantèrque in elucubratione pertractat, quę in monumentis extat Regię Parisiensis Chirurgorum Academię Celeberrimus auctor Jobertus. Quarè missis, ne nimius sim, quę de re eadem possem adijcere, Presbiteri cuiusdam, trigesimum ętatis annum agentis casum, obitèr tantum attingam, qui tribus abhinc annis, biduo postquam loco venę arteriam ipsi aperuerat Chirurgus, inducta iam cicatrice, vulneri fasciam exemit, atque ex neglectu infortunium hoc licet tumor inibi cum dolore et pulsatione excresceret, aspernabatur, donec a medico excitatus undecim circitèr ab inflicto vulnere diebus, ad meam confugit opem.

Ego verò, quippe qui tumere brachium, diffuso in ipso opere sub cute per cellulosam fabricam sanguine, livescere ad dorsum usque, et aneurismate (verilicet imaginem præseferente) spurio tamen, columbini ovi magnitudine aucti, atque illud ex toto delitescere pressione animadverteram, abiecta omni cunctatione, binos aureos nummos, linteo pluries obvolutos, vulneri, magnos adeò, ut paulatim utrinque eius oras comprehenderent imponebam, atque torculari Cel. Petiti injecto super comprimendo, linteisque sępè ex tepida posca universo articulo supradatis fovendo, quadraginta diebus ęgrum valetudini pristinę restituebam.

Quę in Crurali et Popliteo arteria fiunt aneurismata, etsi frequentissima sint, ac longè periculosissima, pręcęteris artuum reliquorum aneurismatibus, paucę tamen eorum historię in Chirurgorum monumentis describuntur. Quare, si ex quamplurimis, in quos incidi huiusmodi casibus, quosdam, mea quidem sententia, digniores ad vestram, cui plurimum debeo, Academiam detulero, meam hanc operam probatum iri valdè confido.

Cruralis arterię lęsę curationes per vincturam celebratas neque apud alios se legisse, aut vidisse, neque sibi experiundi occasionem unquam adfuisse refert Heitter. Instit. Chirurg. Cap. de aneurismate. Initium ergo sumam ab ijs observationibus, quibus Cruralem arteriam, citrà gangrenę timorem, et in superiori, et in inferiori coxę parte ligari posse, et sponte etiam quandoque obturari, compertum fiat.

Quarto Nonas Junias anni 1763: cubili se tradidit in S. Spiritus Nosocomio, inter ægrotos, quibus ego chirurgicam adhibeo curationem, Paolus Angeli faber lignarius quadraginta annos natus: homo cæterum planè integer ac torosus, aneurismate aperto vehementique pulsatione micante, laborans, mali citronei magnitudinem longè lateque exuperante, quod in interiori coxę dexterę parte, sex ferè supra genu transversos digitos, initium capiens, atque transversum Poplitem obliquè descendendo trajiciens, ad externum Femoris Condilum usque pertingebat.

Ab integro iam anno, de non gravi quidem, continuo tamen dolore, indicatam superius coxę regionem obsidente, conquerebatur infirmus, tumore exorto parvo adhuc qui ob longa, molestaque suiusce pta itinera, atque ob operosos, quos assiduè obivit labores, tribus præcipuè mensibus, antequam cubili se daret, rapidissimè in supra descriptam excreverat molem, atque acerbissimo dolore miserum hominem adeò discruciabat, ut quinquies in præfato mensium curriculo, sanguinis missione levandus fuerit. Quum vero, præ nimia progressionis aneurismatis celeritate, in mora esset periculum, præsidiariam ęgroto manum admovere studebam.

Agaricus stipticus ex arte paratus, quo libentissimè usus essem, haud mihi præsto erat, atque solitariò arterię Cruralis trunco præ gangrenę timore, vinculum inijcere, quod ab initio instituere excogitaveram, minimè probabam, præcidendęque potius Coxę mihi obversabatur opinio. Verùm præ grande arterię Muscularis externę lumen, atque nonnullę huiusce rami, aliorumque propagines ad Crus usque productę, et anastomosibus prędite, me hac de sententia depulerunt, et in pristinam, arterię videlicet Cruralis per vincturam firmandę, reduxerunt opinionem: quamobrem cum celeberrimis Natali Saliceto medico, necnon Carolo Guattano chirurgo collegę nostro, consilium inivi, qui optionem mihi omnimodè detulerunt.

Octavo itaque Idus Junij, omnibus seiunctim quę partis extirpationi quęque vincturę arterię celebrandę necessaria erant, comparatis, postremam hanc operationem, iacturę Cruris vitandę causa, quod a me pro viribus efflagitabat infirmus, sequenti ferè ratione instituere conatus sum.

Incisis post torcularis appositionem, remotisque secundum totam tumoris longitudinem communibus velamentis, in apertum Sartorius se mihi obtulit musculus, qui præ nimia distractione, quam a subiacente tumoris mole impulsuque fuerat passus, naturali subtilior adeò erat factus, latiorque, ut aneurismaticum tumorem maxima

ex parte obtegeret. Quapropter dirimere musculum hunc, eiusdemque fibrarum non-
nihil anterius transversim secare necesse fuit, ut detecto, recluso, exsicatoque aneuris-
matis sacco, sanguine qui intus in illo fluidus, immò fluidissimus inerat coccineusque, supe-
riori Cruralis arteriae parti, eo loci ubi lineam Femoris asperam prope tenet, pro Chirur-
gorum more, vinculum injiceretur. Verum inferius opus idem explere possibile haudqua-
quam fuit: profunde quippè nimis inter cornua Gastrocnemij musculi, arteriae Poplitea, os-
culum delitescens erat, atque magnam adversus aegrum sevitiam, cum ineluctabili mortis
periculo exercuissem, si partes arteriam hanc obtegentes discidissem. Quare adjectis ex lin-
teo carpto glomeribus arteriarum osculis sanguinem fundentibus, alijsque quamplurimis,
reliquam sacci partem exacte replentibus, refercitis, splenia ex egelido posca vulneri
superdabam, et circulari fascia obducebam. Laxato denique modicum torculari atque adver-
sus profusionem sanguinis tutior factus, aegrae partis commodis maximè prospexi.

Statim atque operatio instituta fuit rigescere, ac stupore offici Pes extremus coepit
qui oedemate continuo fere cum crure ad genu usque laborare visus est. Haec omnia fomen-
tis exsequi spiritu multa cum camphora, quinque tantum horis, integerrima caloris, sensus
motusque restauratione evanuerunt.

Resoluto post dies septem vulnere, linamenta eidem firmiter adhaerere visa
sunt, ideoque in undecimum usque diem resolutio altera protendebatur, tumque optimo
tectum pure vulnus, purgatumque cernebatur atque Cruralis arteriae caput continens li-
num excidebat, hinc linamenta super non fulciendo, leviter verò tantum ponendo, mutabam,
linteisque impositis oxicrato imbutis, oras vulneris adducendo, circulari fascia obligabam,
sicque altero tantum, vel tertio quoque die vulnus resolvendo, post decimum septimum ab
instituta operatione, eidem plusquam dimidia cicatrix obducebatur. Verum peccatis in
rebus non naturalibus, quae ad dietam, contentionemque animi praecipuè pertinent, (uxore,
a qua intra biduum pluries aegrotus invisebatur, suppetias dante) commissis, vehementi
adeò Dissenteria, magna cum febri, correptus est, ut amplius centies, septem horarum inter-
vallo, maximis cum torminibus conatibusque, retenta anima editis, posquam faeces, mucos-
que expulerat multos, cruentam dejecerit alvum. Summis interim ingruentibus hisce
turbis, dilacerationis sensum in superiori vulneris angulo, magno aeger dolore, atque fra-
gore se percepisse fassus est, admotaque ad [illegible] manu, quum propriò demergi san-
guine deprehendisset, remissa, qua pollebat, voce exclamabat. Ad quem (non satis citò,
ut res postulabat) accurrerunt bini excubias agentes chirurgiae alumni, qui adstricto
torculari, linteisque superfulciendo vulneri impositis, fasciam, priori non resoluta,
superinduxerunt. Quotiescumque verò alvum dejiciebat infirmus, dejiciebat enim saepè

cum torminibus vehementissimis, recrudescebat hemorragia. Ex tanta, tamque precipiti humo-
rum duplici hac uia profusione facta, summa macies nulla prorsus ratione emendanda, orta
est, quam conuulsio dein ac mors, tertio et uigesimo circiter ab operatione die, tertio scilicet
calendas Iulias, subsecuta est.

In dissecti cadaveris Crure morbo affecto, inferiorem arteriæ partem in imo Po-
plite, musculis, Soleo et Gastrocnemio, a quo comprimebatur, coaluisse cernebatur. Cruralis
uero arteriæ tunicæ, licet ambientibus superius musculis firmiter adhærescerent, osculum
tamen uasis huiusce dilaceratum patescebat sic, ut specillum tenue tantum exciperet,
cuius ope sulci, arteria ad Inguen usque dissecta, arctam admodum, priorum arteriæ
musculatis externæ ramorum originæ tenus, rubentemque interiorem eiusdem faciem
aduertebam. Quod equidem compressionibus, per splenia et fascias iam inde ab initio
ad Inguen usque institutis, tribuendum esse censeo.

Eger profecto hic, nisi erroribus, presertim uero crudidate sibi mortem consci-
uisset, ualetudini pristinæ fuisset quam citissime restitutus, maioremque Chirurgicæ
arti gloriam, magno humani generis bono, comparauisset. Verum naturam multo
maiora prestare posse, immo iam prestitisse ex sequentibus elucescit.

Quinto Idus octobris 1765, in S. Spiritus Nosocomio, lecto accipiebatur
Petrus Antonius Ferrari, coquus, quadragesimum ætatis agens annum, qui cum
prima uice a me sequenti mane inuiseretur, inuentus est cacochimo corporis ha-
bitu preditus, continua lentaque detentus febre, legitimoque aneurismate, pugni
grandioris nempe manus, magnitudinem excedente laborans, quod trimestri ab-
hinc spatio, in sinistro Inguine originem nanciscebatur suam, et sursum, ac deor-
sum, Abdomen scilicet, Coxamque uersus nonnihil extendebatur.

Tumorem, qui aderat tunc temporis, aliquomodo esse circumscriptum ac uehe-
menter pulsare cernebatur; continuis doloribus, presertim uero sub noctem acerbiori-
bus ægrum afficere consueuerat, ex quo causam percunctanti mihi, externam fuisse
cum accepissem nullam, venerea ex labe omnimode deriuandam esse, ex multis cicatrici-
bus innotuit.

Sanguis missus et spongia ex egelida posca expressa, tumori imposita, dolo-
ris etsi quandoque lenirent acerbitatem, uehementius tamen paulo post pulsatio,
et dolor augebantur; sed hæc postquam maior ~~maior~~ in dies tumor factus, in magnam
excreuerat molem, leuiora fieri ceperunt, atque tertio tandem calendas Nouembris,
magna cum tumoris depressione necnon per internum, plusquam dimidiæ coxæ latus
propagatione, leui pregresso fragore, euanuerunt.

Verum exinde Ędema, quo leviter antea Pes tantum afficiebatur extremus, cum caloris, sensus, motusque deperditione sic excreverat, ut universi Pedis huiusce vita in apertum discrimen veniret, continuo idcirco linteum quadruplex ex vini spiritu cum camphora expressum imponi calide et quam sępissime curavi, quo quidem presidij genere, quadraginta horarum spatio pars in integrum pene, Ędemate valde adeo imminuto, restituebatur.

Interim tamen in gangrenosa tubera sub Inguine elevabatur tumor, quę pridie calendas Novembrias sub lucem disrumpebantur, cumque fętentium humorum colluvie inquinatum summo mane ęgrotum invenissem, discissis, remotisque fascijs ac splenijs, quę ante dies octo, quam hęc acciderent, parti applicaveram, quo essent impedimento, ne ex inopinato, tenuissima tumoris perrupta cute, exanguis fieret: magna inde nigerrimi sanguinis copia partim in grumos concreti, partimque in fętidam saniem dissoluti per fatiscentia tubera, coccinei vero (quod maxime ne fieret verebar) ne guttula quidem effluente, effundebatur.

Quare ęgro obsita illuvie depurgato, plagam linamentis quam mollissime impleri, et linteis ex gelida posca, quolibet altero die circumducta fascia velari curabam, atque per hęc velamenta communia, necnon aneurismaticus saccus, cum annexis vasis, nervis membranisque, quę ab Inguine ad mediam usque coxam et ultra computruerant, octo dui spatio, quod sponte absque distractione fieri sinebam, abscesserunt. Hinc factum est, musculis Pectineo, Iliaci atque Psoas parte infera, Sartorio, anteriori denique Tricipitis portione denudatis, et a putredine vindicatis, triangularem alveum postremis hisce geminis, pręcipue interclusum, ab Inguinis ligamento ad sedem usque, qua decussatim implicantur, vasis, nervisque Cruralibus in eodem alveo excurrentibus, a putredine penitus destructis expoliatum rubentemque apparuisse.

Cum eo loci res esset adducta, Pontificio chirurgo celeberrimo Carolo Guattani, Academico Parisino, et in Xenodochio S. Spiritus collegę nostro, qui sponte ad ęgrum invisendum, rei novitate motus, accesserat, non sine admiratione inspicere datum fuit.

Quo vero sordibus evacuaretur Abdomen in externum ulcus continue dilabentibus, scalpellum, ductore indice sinistrę manus digito, per hiatum, qui tunc sub Ligamento Inguinali patens erat, indebam, cuius ope, ligamentum hoc, Abdominis musculos necnon velamenta communia, lata satis discindebam plaga, sicque internum aneurismatis cavum in apertum ponere, densioribus sordibus expurgare, eidemque cavitati feliciter adeo medicinam quę omnis in linteo carpto constiterat, mihi facere contigerat ut cicatrice, cum proxime valetudinis spe prospere, quaquaversum duceretur.

Attamen attenuatus ęger, valentissimis licet iusculis aleretur, magis magis ma-

gisque conficiebatur sic, ut quinto tandem calendas Decembris marasmo absumptus fuerit.

Reserato die crastina cadaveris Abdomine, Viscera omnia secundum naturam si glandulas Mesenterii, Lymphaticasque nonnullas circa Lumbos, mole nonnihil ac duritie auctas exceperis, reperta sunt. Arteriam vero Iliacam communem sinistram, quam Peritoneo exuebam, cum eo usque diffidissem, ubi in Iliacas minores dispertitur geminas, externam internamque quę et Hypogastrica nuncupatur, Iliacę externę osculum (arteria pervia manente Hypogastrica) durissimo, conoideoque operculo sex fere lineas longo, ex Lympha concreta cui archetypo fuerat, quin parietibus adhęresceret vasis, efformato, obturari cernebamus, quo sublato, inditoque in conicum archetypum hunc specillo tenuissimo, arteriam vix penetrabilem esse adnotabam. Quare hanc velamentorum, musculorumque Abdominis discissione in aneurismatis cavitatem usque, Peritoneum scilicet inter, et musculos Psoas atque Iliacum internum, a quibus, sanguine ex perrupto tandem aneurismatis sacco, in cellulosam eiusdem Peritonei Epiphisim erumpente, divellebatur, prosecutus sum, sicque amplius duos pollices ab imo operculi sede detruncatam, sub eoque crassiorem quadruplo, ovalis figurę et ligamenti ad instar duram atque imperviam, cuius extremo lacinia e discerptis veluti sacci frustulis suspendebatur, Psoas musculo adhęrere advertebam.

Arterię Iliacę ovalem hanc partem, polyposa substantia varię densitatis adeo infarctam esse, discindendo, adnotabam, ut tunicarum eiusdem forma penitus destructa, in uniformem massam, spongię cera imbutę similem, transformata videretur.

Ossa Ilei atque Pubis, eo loci, ubi arteria Iliaca externa ex Abdomine in Cruralem abitura egreditur, ibidemque, in Inguine, ubi aneurisma ortum habuit, profunda adeo obsidebatur carie, ut in Cotiloidea cavitate nigrities late apprimeque retegeretur.

Cruralis denique Arterię caput inferius, tenui ac fimbriata extremitate a Sartorio musculo, cui nonnihil adhęrebat, circa medium Coxę nullo interposito sanguinis coagulo, cogebatur.

Sanguinem arteriosum, membrorum pręcisione facta, supprimi per coagulum vasis cavitatem obstruens, compressione pro cęteris Chirurgicę Artis pręsidiis, omnium maxime opitulante, celeberrimus Chirurgus memorię tradidit Petitus. Memoir. de l'Academie Royale des Sciences an. 1731 pag. inn. a Amsterdam — cuius sententię pręclarus adstipulatus est Chirurgus Morandus. ibid. an. 1736 pag. 440.

adjecitque, arteriam quoque mutuam ad id ipsum perficiendum necessario operam fibrarum nempe, tum longitudinalium, tum circularium corrugatione, sive ex naturę ingenio, sive ex artis lege facta, conferre: ratus tamen hanc unice, neque per coagulum, neque per solam fibrarum decurtationem explere provinciam in internis, et manibus interclusis posse, nisi cum de minoribus sermo habeatur vasis.

Verumenimvero, ex hac mea quam superius in medium protuli, observatione altera clarè lucet, naturam ultro, cuilibet artis industrię perruptam tanti luminis arteriam quanti nullibi arctum est, et in loco aditu manibus equidem impossibili, scilicet in abdomine delitescentem occludendo, pręcelluisse.

Nihilò tamen secius, quum lentè nimis sua hęc molimenta operetur natura, irrita eadem semper esse, puta, ubi cruralis recenter arteria transversim dissecta est atque eo artem naturę pręstare nemo inficias ibit, quod nisi continuò suas illa omnes adhiberet machinas, sanguinis profusione vulneratus interiret.

Quibus tamen ad id perficiendum natura viis pervenerit, perquirenti haud obscure erit suspicari, erosionem ab acri latente in humoribus causa, in diversis interioris arterię tunicę patratam punctis, primam aneurismati huic producendo manum admovisse: eo namque loci arteria imbecilliore facta, cum impressioni sanguinis irrumpentis impar esset sustinendę, iam tum eidem cedere, dilatarique magis magisque in dies singulos cępit sic, ut sanguis, distractis, diductisque muscularis pręcipuè tunicę fibris, in cellulosę membranę eas intimè intertexentis ac reliquis tunicis illigantis, substantiam propelleretur. Quare impressionibus confertissimè redintegratis, cruor inibi sensim quotidie fluidiore ac non coagulabili parte expressa, accumulatus, fabricę eiusdem cellulas, lympha in minimas et complanatas lemas concreta, refferciendo, eo usque distenderat, ut in ovalem formam, exteriori elevato vasis pariete, interiorique ad axim impulso, eiusdem diffracti vasis extremum, tenui relicto meatu, penè obstruxerit. Via hinc ferè interclusa, fluere segnius, atque morari quodammodo, citrà obstaculum in conica nascentis iliacę externę cavitate sanguis cępit, a quo lympha dein secerni, atque in durum potuit, eidem cavitati respondens, contrahi coagulum, quod cum natans esset, tantum adhuc sanguinis per angustum vasis huiusce meatum delabi concesserat, quantum vix vitę cruris, debili admodum, propagandę opus esse videbatur, donec per disruptum sese tandem, poli posis iam pridem reconcinnatum plagulis, aneurismatis saccum, cruor, quo distendebatur, in cellulosam peritonei Epiphisim, nec non in vesiculosam cruralia vasa succingentem fabricam effunderetur. Amota enim per hanc sacci depletionem, coagulum impellente resistentia,

idem ibi iam tum herere (Iliacę grandioris maximè urgente sanguine) in archetypo debuit, ut Iliacę externę osculo, in ipso ab interna, sivè Hypogastrica, divisionis limine planè obturato, omnis per inferiorem articulum hac via propagandus sanguinis circuitus interciperetur. Quę quidem causa fuit, quamobrem Pedis universi frigus, insensibilitas, ac immobilitas, magno cum Ędematis incremento, consecuta sint.

Qui verò fieri unquam potuerit, tam brevi hęc omnia, perindè ac si nihil horum omninò malorum acciderit, Ędemate quoque valdè imminuto, solo spiritus vini camphorati fotu, simptomata evanuisse, dubium haud esse cuiquam potest, aditu ad Crus per externam Iliacam penitus intercluso, communis Iliacę sanguinem in brevem incurrentem, validius adeò, et maiori copia in Hypogastricam, eiusque ramos, Iliacum superiorem quippè, parvum, Gluteum, Pudendos, obturatorem, cęterosque, distendendo irruisse, ut ampliatis eorundem finibus, cum finitimis cruralis arterię propaginibus, per innumeras penè anastomoses communione gaudentibus, sanguinis circulum ab integro ferè refecerit, ac labascentem hanc vitę partem propediem restituerit.

Quod autem Cruralis arteria et Hypogastrica circulationis sanguinis communione iungantur, iam indè a primis, quos in studio anatomes impendebam laboribus, exploratum mihi est, pluribusque nuperrimè licuit confirmare experimentis. Quoties cunque enim, ligata prius Iliaca externa, ceraceam materiam, vel aquam varię coloratam in Hypogastricam ieci, in arterię Cruralis ramos illam transfluxisse omnes, atque vinctura truncitenus impleuisse advertebam.

Postquam hęc, quę morbi curriculo, quęque cadaveris inspectione rimanda erant, ritè perpenderam, perspicuum sanè mihi fuit, quare nullo vitio sequentem ante annos septem suppeditanti observationem profusio sanguinis orta est; quaque ratione, nullo ferè artis auxilio, fomentis exceptis, idest linteis ex egelida posca expressis, tumori leniter tantum circumducta fascia supradatis, evaserit ęgrotus alter, cuius historiam breviter enunciabo, cęterique, quorum eventus cursim, brevitatis causa, inferius attingere consultum duxi; non enim fortasse deerunt sublimioris Minervę in arte chirurgica viri, qui observationes uberiores adducant, atque certos in praxi aneurismatum eiusmodi, absque ullo cruento opere, summo ęgrotantium bono, sanandorum (quod annuant superi) canones statuant.

Ego verò, qui in lucubrationibus hisce meis, legentium admirationi, veritatis amorem anteponendum puto, nihil dum certi ex allatis aliisque eruere observationibus potuisse fateor. Popliteis enim aneurismate affectos imprimis, vel gangrena, vel profusione sanguinis per plures, in quibus compressio (valentissimum

cæteroquin aduersus impetum sanguinis, præsidium) supra totum Cruralis arteriæ duc-
tum facta fuerat, morte occubuisse egometuidi.

Rusticus duodequadraginta annos natus, ineunte uere anni 1758 in Sancti Spi-
ritus Nosocomio decumbens, continua febri, una cum legitimo arteriæ Cruralis aneurisma-
te, oui gallinacei magnitudine, circà mediam interioremque sinistræ coxæ partem extube-
rante, afficiebatur, ex quo, statim atque febre ex toto uacauit, diætæ pertæsus, renuentibus
medico licet et chirurgo, discessit; post mensem uerò [illegible] su alterum, idem ad Xenodo-
chium est latus, magna cum febri, macie, atque gangrena, aneurismaticum tumorem, im-
manem in molem auctum, labefactante, qui, cum postridie disrumperetur, magnam
corrupti, inibi stagnantis sanguinis copiam effudit. Æger hinc post nouem, à patefacto
tumore, dies, nulla unquam oborta sanguinis profusione, marasmo consumptus est, cu-
ius cadaueris partes mihi dispicere haud quaquam licuit.

Roccus Massei lapidum sector, alterum circiter et trigesimum agens annum
quem uisebam in eodem Nosocomio quinto Idus Nouembris anni 1767, spurio, attamen
pulsante uehementer, ac dolente afficiebatur aneurismate, duplam anserini oui
magnitudinem excedente, quod in sinistri Cruris, iam tum œdemate affecti, poplite
adeò erat prominens, liuescens, atque tenuissima cute erat tectum, ut abscessus pure
plenus, ac rupturæ proximus uideretur.

Ægrotus uerò, ut erat macer admodum, atque infirmus, ut cum maximè,
chirurgico impar omni ferendo operi mihi uisus est; quapropter linteis ex
egelida posca expressis tumori impositis, circulari fascia leuiter comprimendo
hunc sustinere curaui. Verum tribus post diebus grauissimo multa de nocte
æger dolore correptus est, qui uix post duas horas, subita quadam tumoris qua-
quauersum dilatatione atque relaxatione [illegible]uit: exindeque, calore, sensu, mo-
tuque Cruris, maiori quoque œdematis accessione facta, se fuisse orbatum, ipse
sensit, asseruitque infirmus. Pulsatio denique deprehendebatur in aneurisma-
te penitus nulla, quæ omnia, absque una hac, nempè pulsatione, die altero, uel
summum tertio, fomentis ex posca Cruri suppeditatis, in integrum ferè restitue-
bantur. Tumor hinc reliquus erat quippè remissus ualdè, doloris omninò expers
et pulsationis: circulatio sanguinis parti integra, una cum sensu motuque fuerat
restituta, ex quo ea mihi uenit in mentem, immò altè insedit opinio, superius
nempè arteriæ Popliteæ caput, eo temporis, quo tumor expansus est, per coagulum

adeò fuisse obturatum, ut præpedito per eandem sanguinis fluxu, nulla amplius sacci distensio fieret, eodemque nomine nullus dolor, nullaque pulsatio accideret. Indeque ægrum è teterrimo hoc morbo euasurum certiorem facere non dubitaui. Continuè idcircò eisdem fomentis supradatis, Cruris Edema, necnon sanguis in tumoris aneurismatici sacco contentus, sensim minuebantur sic, ut octauo tandem Idus martias, nullo ferè incomodo, domum suam pedibus ire potuerit.

Neque hic prætermittendus mihi uidetur iuuenis Francisci Costæ aurigæ casus, quò clarè innotescat, non ultimo semper morbi stadio, secundæ ualetudinis signa apparere; nam secus atque iis, quos antea exposuimus usuenit ægrotantibus, huic melius fuisse iam inde ab initio ferè recepisse miratus sum. Equidem uera, ægrotantem ab eiusdem uxore accersitus, quinque abhinc annis inuisens, pronum in lectulo iacentem, transuersoque sacculo arena pleno Parisinum ferè longitudinis pedem, atque diametri quatuor pollices habente, supra dextrum Poplitem grauitante, grauatum reperi; quo amoto, aneurismaticum tumorem supra Poplitææ cauitatis margines uix prominentem, leuiter circumscriptum, parum dolentem, pulsatione donatum debili, necnon naturali cute tectum animaduerti. Quæ omnia, cum mitiora adeò, quam antea fuerant, simptomata facta esse ab ægrotante, eiusque propinquis ac domesticis certior essem factus, cumque ceteris omnibus, quæ de meo aliorumque erant consilio, renuissent, nouum remedii genus hoc, cui maximè fidebat infirmus, ratum habere conatus sum; post mensem uerò alterum, quam ægrotum inuisebam, de eodem inquirens solicitus, quum deambulantem inuenerim tandem, atque de uia deuocauerim, iuuenem mihi fuisse planè integrum ac firmum licuit quammaximè intueri.

Ex his autem procliuè est intelligere prosperæ ualetudinis futuræ notas, haud dubias fore, ubi cum tumoris remissione, dolor quoque resederit, pulsatioque.

Siquando uerò sanationis eiusmodi signis non apparentibus malum indies serpere remque in præcipiti periculo esse quis animaduerterit, (non enim omnibus, sicuti enunciatis superius, idem usuenit aneurismate laborantibus), ad operationem protinus per uincturam, uel per compressionem arteriæ, agarico præsertim rupturæ uasis adiecto, celebrandam deueniendum est; cuiusmodi exemplum, quod non alienum censeo breuiter enarrare, exponendum nobis obtulit.

Andreas Bottari uespillo annos natus quinque et uiginti, qui quum sæpius uices impuræ ueneris poculis indulsisset, manuario feretro, infirmis aliisque ferendis ponderibus, et in sepulcralibus leuandis maximè lapidibus allaborasset, dolore affici sinister eidem Poples, paucisque post diebus illic nasci tumor cœpit, qui ex paruo, legitimoque in

spurium, quarto decimo calendas May 1756, ob ingens capite deportatum pondus migrauit aneurisma, exindeque dolores perinde exardescere cęperunt, ut cubare domi suę coactus fuerit, ex qua ingrauescente tandem malo, ad Xenodochium S. Spiritus asportatus a me una cum cel. Carolo Guattano, apud quem tunc temporis Chirurgi substituti partes gerebam, prima uice sequenti mane inuisebatur, tertio scilicet calendas maias.

Aneurismaticum tumorem, maturi recens nati infantis caput fere ęquantem, ędemate toto crure diffuso, obrutum fore, atque liuescentem summam eiusdem partem aduertebamus, cumque in mora esset periculum, operationem ęgro exixe, pre doloris acerbitate, flagitante, superius uidelicet popliteę arterię caput ligando, inferius non item, in imo enim poplite delitescebat; uerum linamentis tantum comprimendo, ijsdemque plagam implendo instituimus tertio nonas Maias; discessitque plane integer ac firmus octauo calendas Iulias, suisque modo ęque ac antea quam commodissime officijs fungitur.

Id uero mihi animaduersione maxime dignum uidetur esse, quod sciaticus nempe sub cute neruus, tensus adeo et fasciolę ad instar, tenuis, latiorque factus, supra medium tumorem excurrebat, quapropter, non uno eodemque ictu, sicuti sub huiusmodi curationibus in brachiorum aneurismatibus, nonnullis arridere uidetur chirurgis, una cum cute aneurismaticus discindendus est saccus; uerum cutis incisio eo quidem consilio facienda est, ut si neruus, aut aliud quid ęgrum in discrimen adducens eidem subest, prius dimoueatur, quam cultro uioletur, aut discindatur.

Quod autem inferiori arterię capite non ligato, sanguinem sistere potuimus, ne cui mirum fortasse uideatur, sciendum in superiori quoque arterię popliteę parte, linteis tantum carptis feliciter adeo id euenisse Cisiavio, cui anno 1729 spurium aneurisma, abscessum pure plenum fore arbitratus, quidam aperuit Chirurgus, qui tametsi arterioso sanguine, magno cum ęgrotantis discrimine obrueretur, intrepidus tamen linamentis, splenijsque uulnus, necnon aneurismatis saccum referciendo comprimendoque impleuerat sic, ut sanguinis profusionem sistere, uulnusque sesquimense ad cicatricem perducere potuerit.

At post annum ferme quartum quam ęger ex hoc morbo euaserat, febri acuta extinctus est in S. Spiritus Nosocomio. Cadaueris mihi sectionem instituenti, aduertere datum fuit, arteriam popliteam, ultra duos pollices, in solidum ac subtilissimum occalluisse ligamentum.

Obseruationem hanc iamtum cum superius laudato Carolo Guattano una cum adumbrata arterię icone communicaui.